Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 403

Quelle:
Copyright:

illuſtr. T. XVI. p. 133. retinentiorem etiam antiquae ſcribendi rationis maluiſſent ſaltem Eruditi. Textus cetera Pſalmorum Exempli noſtri ab ea non abludit; in praeviis tamen Argumentis Pſalmi cujusvis uſus indicatur, qui in Edit. non habetur. Ita Pſalmus I. nobis dicitur: *Choſe propre pour conſoler les bons.* II. *Pſeaulme propre contre les Infidelles.* III. *Pſeaulme propre pour vng chef de guerre moins bien accompagné que ſon Ennemy* &c. Ad calcem hoc jacet Lemma: *La Mort ny Mord*, *Maroto* familiare. Dixi ſupra Poſſeſſorem *Ferdinandum* I. quamvis enim, ut habes apud *Baylium* in *Dict.* v. *Marot*, Interpres hic ab Rege ſuo juſſus *Carolo* V. Imp. Pſalmos ſuos obtulerit, ab eoque numis 200. aureis duplicibus *(Doublons)* donatus fuerit, cum tamen in *Scuto* pariter ſuperius memorato nihil Inſignium *Hiſpanicorum* praeter Turrim *Caſtellae* conſpiciatur, Exemplar iſtud vix ad *Carolum* referri poſſe cenſeo.

CXLVI. IX. H. 28.

798 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 88. 8. ſat nitide perſcriptus, rubricisque diſtinctus, exhibet: I. tacito Autore Paraphraſin metricam latinam *Cantici Canticorum Willerami* Abb. *Ebersbergenſis*, de quo dictum *Codd.* XLIV. XLV. et XCVIII. Praefatio incipit: *Cum maiorum ſtudia intueor, quibus in diuina pagina nobiliter floruere* &c. Pauca hic ab Editione *Schilteriana* T. I. *Theſ. Antiquit. Teut.* abeunt. *In conſtructione* legas pro *inſtructione*, *fructum inducant* pro *producant*, *nomine oſtentant* pro *teſtantur*, *et uerſibus et textu* pro *et Teutonica*, quod poſtremum manifeſtus error eſt Librarii. Praefationem excipiunt Prolegomena omnibus *Willerami* Editoribus ignorata, et 5. paginas replentia, de quibus tamen dubito, an genuinus Noſtri foetus ſint. Ineunt illa: *Liber iſte in quatuor partes diuiditur. quia eccleſia chriſti ſponſa quam canit de quatuor plagis mundi per quatuor euangelia in thalamum ſponſi colligitur ipſo dicente: Venient ab oriente, et occidente. a meridie et aquilone et recumbent cum abraham et yſaac et iacob in regno celorum.* &c. Haec deinceps quatuor Puellis adplicantur, quarum Filia *Pharaonis* ab Oriente, Filia *Babylonis* ab Auſtro, *Sunamitis* ab Occidente, et *Mandragora*, *hoc eſt puella ſine capite*, ab Aquilone accerſitur. Vix haec *Willeramum* ſapiunt. Ipſius Paraphraſeos Membra tantum usque ad *Caput* IV. Rubricas illas Interlocutorum praeferunt; itaque earum ultima huic *Capiti* praefixa eſt: *Vox Chriſti.* Textus magis ad Codicem *Vratislav.* accedit; eſt tamen editis mendoſior. Collato C. I. haec noto: V. 4. habetur *amore pio recolentes* pro *amore tuo.* V. 5. *Perfero grande malum* pro *Perfere*, quod Impreſſoris eſt σφαλμα. V. 15. *Nil factum ſimulas* pro *fictum.*

II.